



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. II. De instituendis in Ecclesijs, vel beneficijs Ecclesiasticis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## §. II.

*De instituendis in Ecclesiis, vel beneficiis Ecclesiasticis.*

**I**nstituendi in beneficiis Ecclesiasticis debent primò esse Clerici, cum Laicis non conventant beneficia Ecclesiastica. *c. In Ecclesia 2. h. t.* Secundò, non debent institui in Ecclesiis & Beneficiis unius originis, seu nationis tantum, sed viri literati & idonei, undecunque originem ducant. *c. Decorem 5. h. t.* nisi beneficium fundatum primitus sit, pro certæ castri nationis, certæ familiæ, &c. hominibus; neque tamen etiam prohibetur consuetudo, quæ indigenæ extraneis præferuntur, quia facilius illi ad perpetuò residendum inducuntur. Neque tertio repelli debet à Patrono ad Ecclesiam vacantem Parochialem præsentatus, qui in minoribus quidem est, sacris tamen ordinibus nondum initiatus est, modò aliàs sit idoneus, ætatem requisitam habeat, & intra annum ad sacerdotium promoveti possit. *c. licet 14. De elect. in*

*6. c. Præterea 5. De aate & qualitat. c. Si is 2. h. t. in 6.* Quarto tot sunt instituendi in Ecclesiis Collegium, aut Capitulum habentibus, quot commode abique penuria ex redditibus ali possunt. *c. Non amplius 1. & c. Auctoritate 1. Trident. Sess. 25. c. 3. De reprob. Quòd si tamen in prima fundatione tantus numerus determinatus sit, augeri non debet, ob modicum tantum incrementum, minui tamen potest, si notabiliter, & in perpetuum decrescant redditus, quamvis auctoritate Papæ, aut juramento numerus determinatus firmatus sit, cum talis contentio, aut juramentum intelligi debet, ut res in eodem statu permaneant. Quòd tamen nemo seipsum in beneficium instituere potest, neque ab alio accipere, nisi à se auctoritatem habeat, ut patet ex *c. Cum ad nostram 7. h. t.* eò quod ut dicit Pontifex, inter dantem & accipientem debeat esse personarum distinctio.*

## TITVLVS VIII.

DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ, ET ECCLESIAE NON VACANTIS.

## §. I.

*Utrum beneficium non vacans possit conferri, vel promitti?*

**B**eneficium non vacans non tantum conferri non potest (ita ut collatio talis sit ipso jure irrita, & qui scienter permisit in tali, non vacante beneficio, se

institui, poenam excommunicationis incurrat. *c. 1. h. t.* & non possit postmodò hoc beneficium, ubi vacaverit, obtinere. *argu. s. final. de eo, qui duxit in mare. c. 1. sed nec promitti potest, ut constat ex *c. Nulla 2. & ex c. Ex tenore 13. h. t.* cum etiam legibus Civilibus pactum de hereditate successione, vigente eo, cui succedet, non*